

- iudicium." "quid tum?" "ut diligenter nunties  
 340 patri, advocatu' mane mi esse ut meminerit."  
 dum haec dicit abiit hora. rogō numquid velit. 50  
 "recte" inquit. abeo. quom huc respicio ad virginem,  
 illa sē[se] interea commodum huc advorterat  
 in hānc nostram plateam. *PA.* mirum nī hānc dicit, modo  
 345 huic quae datast dono. *CH.* huc quom advenio nulla  
 erat.  
*PA.* comites secuti scilicet sunt virginem? 55  
*CH.* verum : parasitu' cūm āncilla. *PA.* ipsast : ilicet.  
 desine ; iam conclamatumst. *CH.* alias res agis.  
*PA.* istuc ago equidem. *CH.* nostin quae sit, dic mihi, aut  
 350 vidistin? *PA.* vidi novi sciō quō ābducta sit.  
*CH.* eho Parmeno mi, nostin? [*PA.* novi. *CH.*] et scis 60  
 ubi siet?  
*PA.* huc deductast ad meretricem Thaidem : eī dono  
 datast.  
*CH.* quis is est tam potens cum tanto munere hoc? *PA.*  
 miles Thraso,  
 Phaedriae rivali'. *CH.* duras fratri' partis praedicas.  
 355 *PA.* immo enī si scias quod donum huic dono contra  
 conparet,  
 [tum] magis id dicas. *CH.* quodnam quaeso hercle? *PA.* 65  
 eunuchum. *CH.* illumne obsecro  
 inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senēm  
 mulierem?  
*PA.* istunc ipsum. *CH.* homō quatietur certe cum dono  
 foras.